

ioemque illi horrorem, quam ipsa mors, ingerit. — S. Lig. *ibid.*; *Hom. apost.* n. 2.

5^o Nunquam licet macerare corpus ad vitam breviandam, neque, etiam secluso tali fine, immoderatis et prorsus indiscretis poenitentis graviter valetudinem pessumdare. Licet tamen ex virtute poenitentis ordinarie gravibus uti cum certa quadam vitae abbreviatione; quia ex communi DD. sententia propter meritum, vel naturae pravae mortificationem aliqua longioris vitae iactura contemni potest. — S. Lig. n. 371.; *Hom. apost.* n. 2.

6^o Non peccant artifices, qui super aedificiorum tecta ascendunt, et variis sese periculis, ubi opus sit, exponunt; nec fabri ferrarii, qui quotidie ignem versando vitam sibi minuunt; ratio est, quia ex causa rationabili id agunt. Contra graviter peccant viri audaces, qui ex temeraria sponse et vana gloria in gravia discrimina sine causa se iniiciunt, in altum ascendendo, deorsum se demittendo, onera graviora ferendo, etc.

7^o Non licet se mutilare, nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium, quia homo non est membrorum suorum dominus, sed custos tantum, et quidquid homo est, totum Dei est, nec aliud dominium in corpus suum, nisi utile seu indirectum habet. Attamen S. Alph. non reicit ut improbabilem opinionem affirmantem, id licere ad vocis conservationem, si aliae adsint conditiones (9). — S. Lig. l. 3. n. 374.

8^o Non licet se mutilare pro bono spirituali, aut ad vitandum quodlibet peccatum. Ut enim ait S. Thomas, *saluti spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membri praecisionem, quia peccatum subiacet voluntati. Et ideo in nullo casu licet membrum praescindere propter quodcumque peccatum vitandum* (2. 2. q. 65. art. 1. ad 3.) (10).

(9) Conditiones ex S. Alphonso sunt, ut absit morale periculum vitae, et non fiat pueris invitis. Huius opinionis ratio est (ait S. Alphonsus), tum quia eunuchi utiles sunt bono communi ad divinas laudes in ecclesiis suaviter canendas; tum quia conservatio vocis non parvi quidem momenti in eis dicendum est bonum, cum per illud conditionem notabiliter in melius mutant..., et ideo tantum bonum iusta esse causa videtur, ut cum illo tale corporis nocuum resarciri licite possit; tanto magis quod hoc in dies in usum deducitur, et ab Ecclesia toleratur, ut ait Elbel. Benedictus XIV licet inclinaret

in opinionem, quam communior dixit, *ultroneam evirationem a peccato excusandam non esse*; tamen auctor est Episcopus, ne eiusmodi cantores a choris musicis eliminando molestias et offensiones sine causa sibi parare velint. *De Synod.* lib. 2. cap. 7. n. 3-6.

(10) Adde quod eiusmodi mutilatio impotem quidem efficit ad generandum, non tamen eximit a tentationibus carnalibus. *Ecclesiae autem disciplina irregularitatis notam inurit eunuchis, qui extra necessitatem salvandae vitae mutilationi suae assensum praebuerit.* *Bened.* XIV, *De Syn.* lib. 2. cap. 7. n. 5.

9^o *Probabilius* licet manum catena ligatam sibi abscindere ad vitandam mortem a bellua, vel tyranno, aut incendio impendentem, quia pars bono totius hominis cedere debet. — Lugo, *de Iustitia*, disp. 10. n. 22. — Lacroix, n. 786. — Billuart, contra alios. — V. *Casus*, n. 376. et seq.

CAPUT II.

DE OCCISIONE PROXIMI

Scilicet 1^o de occisione rei; 2^o aggressoris; 3^o innocentis.

ARTICULUS I. — DE OCCISIONE REI SEU MALEFACTORIS.

392. **Principia.** — I. Licet malefactores publica auctoritate occidere. Ratio, quia hoc est medium necessarium ad commune totius societatis bonum procurandum, immo ad ipsam societatem servandam; quod quidem plerumque non nisi morte scelestorum hominum obtineri potest. Deus autem potestatem, sine qua societas stare non posset, contulisse dicendus est. Constat etiam ex praxi cuiusvis legislationis, ex sacra Scriptura, et universali omnium consensu.

II. Non licet autem occidere malefactores auctoritate privata. Quia nemo alium occidere potest sine potestate; at privati nullam eiusmodi potestatem a Deo acceperunt; etenim, ne caedibus omnia impleantur, haec potestas soli totius civilis societatis Superiori data est. Ergo (1).

393. **Resolves.** — 1^o Nemini licet aliquem potestati suae non subiectum verberare, nisi accedat consensus saltem tacitus illius, qui pote-

(1) Nullatenus huic doctrinae obstat, quod interdum leges civiles servatis quibusdam conditionibus, facultatem fecerint occidendi modo alterutrum, modo utrumque adulterum: quas leges innuit Card. De Lugo (*De Iust. et Iur.* disp. 10. n. 84.). Etenim, ut habet S. Thomas (In 4. dist. 37. q. 2. art. 1.). *Lex civilis quasi licitum computat, quod in ipso actu eam (vir) interficiat, non quasi praecipiens, sed quasi poenam homicidii non inferens propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem uxoris. Sed Ecclesia non est adstricta legibus humanis, ut iudicet eum sine reatu poenae aeternae vel poenae ecclesiastico iudicio infligendae ex hoc quod est sine reatu*

poenae infligendae per iudicium saeculare.

Quin ipse S. Doctor occurrit difficultati, quae peti poterat ex c. *Si vero* 3. *De Sent. excomm.*, immunem scilicet esse ab excommunicatione Canonis eum, qui in clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum, manus iniecerit violentas. Respondet enim S. Thomas (*ibid.* ad 3.): *Ex hoc non probatur, quod (uxoricidium) licitum sit simpliciter, sed quantum ad immunitatem ab aliqua poena: quia etiam excommunicatio quaedam poena est.*

His adde prop. XIX^{am} damnatam ad Alex. VII, quae sic legitur: *Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

statem habet, v. gr. patris in filium, magistri in discipulum; verberatio enim est punitio: haec autem supponit potestatem gubernativam. Excipe, nisi id necessarium sit ad avertendam praesentem iniuriam, ut infra dicitur. — Reuter, n. 369.

2^o Non licet patri proprios filios, nec domino proprios servos correctionis causa mutilare aut occidere; ratio, quia punire per mutilationem et occisionem, quae damnum irreparabile inferunt, requirit sane potestatem perfectam, quam nec pater nec dominus habet. — Billuart.

3^o Frater natu maior non potest fratres minores verberare, nisi id ipsi sit a patre mandatum, aut nisi, mortuo aut absente patre, familiam ipse regat; quia primogenitura ei tale ius non confert. — Billuart et alii.

394. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An milites iussi comprehendere et custodire malefactorem, possint eum aufugientem occidere?*

Resp. Neg. etiamsi iam ad mortem fuerit damnatus; quia vi officii sui, et secluso speciali Principis mandato, satellites ream tantum coercere possunt. — S. Lig. *Hom. Apost.* n. 9.

QUAER. 2^o *An liceat tyrannum occidere?*

Resp. 1^o Certum est non licere occidere tyrannum *regiminis*, seu legitimum Principem tyrannice populum regentem, atque etiam opprimentem: *obedire enim oportet dominis etiam dyscolis.* 1. *Petri*, 2, 18. — *Ita communiter cum S. Lig. Hom. Apost.* n. 13.

Resp. 2^o Nec licet occidere tyrannum *usurpationis*, si iam in regni possessionem venerit. Sententia autem opposita dicenda est improbabilis et falsa: quia iuxta S. Thomam usurpator ut legitimus haberi debet, saltem in praxi, si postea subditi illum ut talem agnoscant. Praeterea bonum publicum requirit, ut obedientia ei praestetur (2) ad Reipublicae perturbationes et eversiones praecavendas. — S. Lig. *ibid.*

(2) Peccat sane tyrannus usurpatione auctoritatis sive dum leges fert, sive dum ius dicit, aut tributa imponit, etc. Quippe usurpat sibi auctoritatem principis, cum princeps non sit.

Neque solum peccat rempublicam aut provincias invadendo, sed etiam peccat dein assidue, tum ipse tum heres, oppressas ac sibi subiectas servando; quandoquidem assidue opprimunt et iniuriam inferunt, non secus ac quempiam inique in carcerem compingens non solum peccat ab initio, sed iugiter etiam postea, quamdiu hanc alterius calamitatem continuat.

Accedit et illud, quod tyrannus dum

peccat retinendo usurpatam potestatem aliam simul obligationem habet, prospiciendi scilicet bono communi usurpatae provinciae; atque adeo magis adhuc peccat, si, quando opus est, aut ius non dicat, aut sotes non comprimat, etc. Ratio, quia, gravius adhuc civibus nocet, maioremque infert iniuriam; sicut nimirum qui rem retinet alienam, eaque utitur, peccat utendo, et simul peccat non utendo, si usus est rei necessarius, ne pereat aut deterior fiat.

Et plane singularis est ista conditio iniusti usurpatoris publicae auctoritatis, ut hinc quidem reus sit retinendo usurpatam potestatem, inde vero se novo cri-

Resp. 3^o Nec licet occidere tyrannum seu iniustum usurpatorem, etiamsi nondum sit in possessione regni, nisi ex auctoritate legitimi Principis, aut ex iusta defensione, aut in actu belli Reipublicae adversus ipsum; nunquam enim licet occidere hominem privata auctoritate. — *Ita communiter*, et certo tenendum est. — S. Lig. *ibid.* — Recole dicta in fine IV. praec. n. 387.

ARTICULUS II. — DE OCCISIONE INIUSTI AGGRESSORIS

395. **Principia.** — I. Licitum est unicuique defendere propriam vitam etiam cum occisione iniusti aggressoris; quisque enim habet ius conservandi vitam iniuste oppugnatam: ergo potest illam defendere per media necessaria, et proinde etiam mutilatione aut occisione aggressoris, si alio pacto sese morti eripere nequeat; ex iure enim naturali licet vim vi repellere. Constat etiam iure canonico, praesertim *C. Si vero*, 3. *de sent. excomm.*, ubi dicitur: *Vim vi repellere omnes leges et omnia iura permittunt.* — Vide S. Lig. n. 380.

II. In iusta defensione contra iniquum aggressorem servari debet moderamen *inculpatae tutelae*, seu nihil fieri debet, nisi id quod absolute necessarium est ad se tuendum; quia quod necessitas non excusat, est contra iustitiam.

396. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An liceat occidere ebrium vel amentem aggressorem (3).*

mine obstringat, si interim societati, quam tenet oppressam, non satis consulat.

Neque tamen necessitas ista consulendi ordini seu bono communi excusat usurpatorem a reatu tum usurpationis, tum usus inique obtentae potestatis: haec enim necessitas est consequens ad crimen retinendi usurpatam potestatem, quo impedit, ne ordini societatis per legitimum principem prospici queat.

Licet nihilominus incolis usurpatae provinciae ea praestare, quae necessaria sunt ad servandum ordinem, sine quo societas ipsa servari non posset. Neque solum id licite praestare possunt, sed etiam tenentur. Id enim exigit necessitas ipsam communitatem seu societatem servandi. Et huc spectat, quod DD. communiter habent, servandas esse leges et sententias a tyranno latas, si iustae per se sint et honestae, licet iustae non sint, quatenus ab

illegitima potestate feruntur. Ratio est, quia societas stare non potest, nisi aliqua potestate, legibus, iudiciis regatur. Atqui eiusmodi leges, sententiae, etc. tunc haberi non queunt, nisi quae a tyranno feruntur. Ista ergo servandae sunt.

Neque vero id ullam infert tyrannidis approbationem. Neque enim subditi leges illas servant, quasi legitimam habeant aut profiteantur usurpatoris potestatem, sed quia lex naturalis ordinem aliquem servari praecipit; et cum ille tantum ordo tunc possibilis sit, hunc lex naturae servandum iubet. Et hunc plane sensum habet, quod aiunt DD., societatem in hunc finem usurpatori conferre potestatem leges ferendi, gubernandi, instituendi iudicia, etc., nequaquam vero quod usurpatori ius aliquod legitimum exinde acquiratur.

(3) Haec quaestio potius spectat ad articulum sequentem, ubi de occisione in-

Resp. Affirm. probabilius, nisi tibi constet eum in statu peccati mortalis versari. Ratio est, quia quamvis ebrius vel amens non sit aggressor tuus *formaliter* iniustus, est tamen *materialiter* iniustus, et tu ius tuum servas vim vi repellendi. Quod si certo scias, eum in statu peccati letalis versari (4), cum hic in extrema necessitate versetur, charitas exigit, ut salutem eius aeternam vitae tuae temporalis conservationi praeferas. Secus autem, si sui ipsius compos esset; proprium enim malum ipsi foret imputandum.

QUAER. 2^o *An liceat defendere proximum innocentem occisione aggressoris?*

Resp. Affirm. in omni casu, quo licet propriam vitam defendere; idque ratione charitatis. — S. Lig. n. 389. Raro tamen privatus ad hoc teneri videtur (5). — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 390.

397. — *QUAER. 3^o An liceat occidere iniustum aggressorem etiam pro defensione membrorum?*

Resp. Affirm. cum communi sententia, contra *paucos*. Ratio est, quia quisque ius habet servandi bonum sibi maxime ad vitam necessarium, etiam cum periculo vitae alterius, modo aliud medium desit, nec mors aggressoris intendatur. — S. Lig. n. 380.

QUAER. 4^o *An liceat defendere bona fortunae magni momenti cum occisione furis, si aliter retineri non possint?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius*. Ratio deducitur ex dictis in quaesito praecedenti; quisque enim ius habet conservandi bona magni pro conditione sua momenti, et eo ipso adhibendi media absolute ad id necessaria. Aliunde praeceptum charitatis non obligat, ut quis praeferat

nocentis *indirecte* intenta. Innocens quippe hic dicitur, quisquis te sine crimine agreditur aut laedere utcumque conatur.

(4) Monet tamen Lugo (*de Iust. et Iur.* disp. 10. n. 143.). rarissimum fore casum, quo certo id constet. Insuper prudens aliqua spes affulgere debet, aggressorem, v. gr. dementem, si ei pareatur, salutem consecuturum esse. Denique sin minus fuga liceat sese ab invasore subtrahere (nam ebrii aut amens aggressionem etiam fugiendo vitare nemini indecorum est); non interdicitur aggressorem percutiendo aut feriendo ita laedere, ut et vita ipsi servetur, et simul ad nocendum impos tunc fiat.

(5) Charitatis scilicet praeceptum non obligat eum gravi incommodo, in occisione

autem alterius vix unquam evitari potest magnum incommodum ob timorem inimicitarum, publicae iustitiae, etc. Ita S. Alph.

Caeterum adesse aliquando hanc obligationem, auctor est et S. Ambrosius, e quo S. Thomas (2. 2. q. 60. art. 6. ad 2.) haec verba exscribit: *Qui non repellit iniuriam a socio, cum potest, tam est in vitio, quam ille qui facit.* Huc faciunt et Innocentii IV verba relata in C. *Dilecto 6. De Sent. Excomm.* in VI: *Cum liceat cuilibet suo vicino vel proximo pro repellenda ipsius iniuria suum impertiri auxilium: imo si potest et negligit, videatur iniuriantem fovere, et esse particeps eiusdem culpa, etc.*

bona proximi, licet superioris ordinis, nisi quando proximus in extrema necessitate versetur; secus vero, quando sponte hic mortis periculo se exponit. — S. Lig. n. 382.

398. — *QUAER. 5^o An mulieri liceat occidere invasorem pudicitiae?*

Resp. Affirm., *probabilius*. Ratio est, quia pudicitia est bonum praestantius divitiis: ergo si licet occidere aggressorem iniustum honorum fortunae, id a *fortiori* licebit ad pudicitiam servandam. — S. Lig. n. 386., et alii communiter (6).

QUAER. 6^o *An liceat alium occidere ad conservationem honoris?*

Resp. Neg. saltem *practice* loquendo: quia honor aliis mediis plerumque servari potest, ideoque aggressio honoris cum aggressionem vitae aliorumque honorum non potest comparari. Innumeris praeterea caedibus aliter pateret aditus (7).

Idcirco Alexander VII merito damnavit sequentem propositionem numero 18^{um}: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, et etiam iudicem, a quo imminet iniusta sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare* (8). Attende insuper ad propositionem 30^{am} ab

(6) Adde 1^o nec percussorem, nec mutilationem, nec occisionem ad pudicitiam tuendam, inducere irregularitatem aut poenam excommunicationis, etsi invasor sit clericus.

Adde 2^o fas esse occidere invasorem pudicitiae alterius, prout ipsi vim patienti licet. Ita S. Alphonsus (lib. 3. n. 391.) qui tamen limitat, nisi femina consentiat, *vel saltem si positive non resistat*. Quae postrema verba S. Alphonsi intelligenda plane sunt *de femina, quae non resistit, cum possit*, atque adeo negative se habens interpretative consentire censeatur, uti reipsa intelligunt Salmanticenses (*De Praec.* V. cap. 1. n. 97.), e quibus haec S. Alphonsus desumpsit. Nam si femina reipsa vim patitur, et iuxta dicta superius (not. ad q. 3. n. 390.) ideo solum passive se habet, ut maius malum vitet, haec limitatio locum non habet.

(7) Scite S. Alphonsus (lib. 3. n. 381. et 391.) distinguit, verbisne tantum, an etiam factis invasio honoris fiat. Nam si de verbis agatur, et v. gr. viro honorato contumeliose dicatur, *mentiris*, aliter re-

pellii iniuria potest, debet et solet; et percussio aut vulneratio non defensionis sed vindictae rationem habet.

Si vero factis honor impetatur, aliter iudicandum est de re post factum, aliter ante factum. Laesio enim aggressoris post factum, nisi agatur de correptione cum pueris et aliis huiusmodi adhibenda, ultio esset, non autem defensio: et huc spectat secunda pars propositionis 50^{ae} ab Innoc. XI. proscriptae. Si vero res de illo sit, qui factis honorem laedere conatur, tunc valent quae A. in quinta resolutione subiicit. Nemini enim imponi potest obligatio passive se habendi, dum alter in contemptum conetur, v. gr. ei vellicare barbam aut impingere alapam, aut vestes conspuere, etc.; sed licebit ei sane, servato moderamine inculpatae tutelae, iniuriam propulsare; et si quidem pervicax aggressor ad praestitutam iniuriam inferendam vim adhibeat, ac repulsus etiam arma arripiat, fas profecto erit alteri vim vi repellere, et armis arma opponere. *Vid. Croix* lib. 3. p. 1. n. 803.

(8) Huc facit potius prop. XVII^a ad Alexandro VII damnata, quae sic habet:

Innoc. XI damnatam: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec calumnia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel fustis ictum fugiat.* — Vide S. Lig. n. 381.

399. **Resolves.** — 1^o Non licet occidere furem auferentem rem minoris momenti etiam cum resistentia domini; quia licet talis ablatio fiat cum speciali eius iniuria ob violentiam, eiusmodi tamen iniuria iuxta hominum aestimationem gravis non censetur. — S. Lig. n. 383. (9). At-

Est licitum Religioso et Clerico calumniatorem, gravia crimina de se vel de sua Religione spargere minitantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso vel eius religioni publice et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur. Nam prop. XVIII^a non solum de honoris iactura, sed de aliis damnis tractat.

Ideo autem quidam produxisse in medium videntur Religiosos et clericos, quia in his magis elucebat iactura, quae a calumnia timeri potest. Et hinc quidem alii ansam desumpserant affirmandi, id quidem Religiosis ac clericis esse interdictum, non vero laicis (Vid. Croix, lib. 3. p. 1. n. 800.), cui evasioni aditus praeclusus deinde fuit per prop. XXX^{am} ab Innoc. XI damnatam quam cf. suo loco.

Caeterum haud obscura est damnationis ratio, periculum nempe abusu, ex hac doctrina imminens; quod cum ipsi doctrinae intrinsecum sit, satis id est, ut illa reprobanda censeatur. Ut enim de simili casu observat Lugo (*De Iust. et Iur. disp. 10. n. 189.*): *Si haec inconvenientia per se ex illa sententia consequuntur, certe nec speculative erit probabilis; ad probabilitatem enim etiam speculativam rei moralis, oportet quod materia, sit talis, ut in circumstantiis humanis non afferat inconvenientia, quae eam reddant illicitam; si autem ex se talia inconvenientia affert, eo ipso est intrinsece illicita etiam spe-*

culative loquendo. Atqui ita se res habet in praesenti materia. Nam 1^o nunquam evidens erit gravem infamiam declinari aliter non posse, nisi per occisionem calumniatoris, aut iudicis, etc. (Vid. *Viva ad Prop. XVII^{am} Alex. VII. n. 4.*). 2^o Cum facile homines passione hallucinentur, ex meris suspicionibus caedes sine causa multiplicarentur. Eiusmodi itaque adversus calumnias remedium, cui tam gravia incommoda necessaria connexa sunt, ipso naturae iure interdicti debuit.

(9) Ut clarius et exactius haec quaestio volvatur, triplex casus est distinguendus.

Primus est, quando non tam rei valor attenditur, quam iniuria domino rei illata, propterea quod ipso praesente, et nequiquam prohibente, clamante, minitante remque retinente, fur eam abstrahat. Et huc spectat sententia S. Alphonsi (lib. 3. n. 383.) quod ratione talis *contemptus ac dehonorationis* non liceat furem occidere.

Secundus est, quando spectatur potius damnum, quod re ablata dominus patitur. Et tunc valet alia eiusdem S. Alphonsi doctrina (l. c.). *Certum est ad furem occidendum duo requiri: primo quod res nequeat alia via recuperari; secundo quod res sit magni momenti.* Ubi sapienter monet cum aliis DD., gravitatem damni *relative* esse intelligendam et generatim *sufficere iacturam illam, quae notabile damnum domino afferret iuxta qualitatem personae*, quamquam nec dilfitendum sit, sicut in quantitate furti, ita et in re praesenti admitti oportere aliquam damni gravitatem *absolutam*, quae

tamen dominus non tenetur rem dimittere, et servato moderamine inculpatae tutelae, potest se defendere, si alter ad eam auferendam vim personae inferat.

2^o Non licet generatim eum occidere, qui mere aggressionem minitetur; quia magnum et frequens in hoc esse potest hallucinationis periculum. Secus vero, si certo constet de prava aggressoris voluntate, nec periculo alia ratione occurri possit.

3^o Non licet occidere aggressorem post factum, quia esset vindicta, non defensio. Excipitur (10), quando aggressio *effective*, ut aiunt, in fuga aggressoris rem furtivam auferentis perduraret. — *Ita communiter.*

nempe respectu omnium censi et dici *magni momenti* possit, ac debeat. Hanc tamen constringendam non esse valore *unius aurei* seu scutati, patet ex hac prop. 31^a ab Innoc. XI damnata: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*; licet et unius aurei valor aliquando in paupereulo *magni momenti* haberi possit.

Tertius demum casus est, quando neque honoris, ut in primo casu, neque gravitatis damni, ut in secundo, causa agitur, sed consideratur vis illata domino rem suam custodienti. Et tunc redit quaestio sup. ad q. 6. mota de eo, *qui factis alterius honorem laedere conatur.* Quando enim fur vim inferat, ut ingrediatur v. gr. domum seu gallinarium, aut horologium seu baculum e manibus tibi eripiat, non teneris sane passive te habere, et rem ipsi permittere, sed licite potes iniusto aggressori resistere, ac vim vi repellere, quamquam moderamen inculpatae tutelae exigat, ut non maiorem vim adhibeas quam quae ad vim repellendam sufficiat. Ratio est (ut ait Molina, tom. 4. Tr. 3. disp. 16. n. 4.) quia *quando quis ita defendit sua, regulariter defendit simul suam propriam personam, quam periculo pro suarum rerum defensione exponit.* Aliam rationem affert Laymann (lib. 3. Tr. 3. cap. 3. part. 3. n. 4.) *publici nimium boni.* Nam alioqui scelerum impunitas improbos ad nocendum audentiores redderet.

Harum distinctionum defectus efficit, ut valde obscura evadat S. Alphonsi (l. c.) resolutio. Quippe ad quaestionem, *An liceat occidere furem auferentem rem modici valoris cum resistentia domini aut custodis illius*, allata sententia affirmativa, quam tribuit Molinae, Bonac., Lugo, Sporer, Vivae et Ronc., subdit: *Sed multo magis mihi arridet sententia contraria quam tenent Salmanticenses* (Tr. 25. c. 1. n. 85.) *post Dianam id non admittentes. Ratio, quia licet talis ablatio fiat cum speciali iniuria domini ratione violentiae; attamen cum non omnis iniuria dehonorationem afferat, hic mihi videtur per illam ablationem non proprie aut graviter honorem laedi iuxta aestimationem hominum. Quis enim graviter dehonorus aestimabitur, quia fur violenter ab eo rem aliquam arripuerit?* In quibus et perperam impugnatur cum aliis Molina, qui, ut, patet ex dictis et ex Not. sequenti, de alia hypothesis tractat, nec distinguitur causa tuendi honorem a iure resistendi furi rem arripere conanti. Sed nihil mirum, si quando in gravibus quaestionibus agitandis Salmanticenses ut duces assumantur.

(10) In hoc casu non honoris aut personae, sed damni tantum causa agitur. In qua hypothesis Molina (tom. 4. Tr. 3. disp. 16. n. 6.) negat, licite furem occidi, *quando res non esset magni valoris, ut si esset solum trium, quatuor, aut quin-*